

affirmant autem cum Bonaventura, Scotus, Suarez, etc. Granadus, et Ruizius a Montoya ajunt esse de *nomine* quaestionem. Ex dictis autem sat clarum videtur: si enim *tres res* sunt et tres reales *perfectiones*, tres quoque reales *existentiae relativae* dicendae: existentia enim nihil est aliud quam esse reale, ut supra, cum S. Thoma, diximus (1).

Item tres *formas* relativae dici posse, apertum videtur, cum sint tres proprietates constitutivae in esse Personae. Ita loquuntur Divus Thomas, Ruizius, etc.

188. III. Ne in singulis immoremur perpendendis praedicatis, nonnullae Regulae generales lucem praebent ad caste de tanto loquendum mysterio.

I.^a Ab iis abstinendum praedicatis, quae proprietates absolutas seu Naturam in Deo multiplicant; vel è contra, quae numerum excludunt proprietatum relativarum seu Personarum. Unde non dices, *aliud* esse Patrem, *aliud* esse Filium: non negabis *aliud* esse, etc.

189. II.^a Abstracta, quemadmodum et concreta, relativa nequeunt ad invicem praedicari; ut *Paternitas est Filiatio*, vel *Pater est Filius*: at quaevis proprietas abstracta (sive absoluta, sive relativa) potest de se ipsa in concreto dicta praedicari: ut *Deus est Deitas*, *Pater est Paternitas*, *tres Personae sunt tres Personalitates*, *Pater est Deitas*. Ratio est, quia in posterioribus datur identitas realis; è contra in prioribus.

190. III.^a Concreta essentialia substantiva non possunt de Personis praedicari pluraliter; ut *tres Personae sunt Dei*: è contra, si adjective essentialia sumantur; ut *Personae sunt divinae, omnipotentes*, etc. Si tamen adjectivum in sensu accipiatur substantivi, neque dici pluraliter licebit: sic ait Athanasius: «non tres aeterni, sed unus aeternus; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.»

191. IV.^a Concreta relativa substantive affirmantur de essentialibus, sive concretis, sive abstractis; ut *Deus est Pater*, *Deitas est Filius*: at relativa adjective non praedicantur de abstractis essentialibus, ut *Deitas*, vel *Essentia gignit*: nam requiritur distinctio realis inter generantem et genitum, quae falso tribuitur Deitati simpliciter dictae; sic enim abstrahitur a personis, in quibus solis est realis distinctio.

192. V.^a Actus notionales propriissime praedicantur de respectivis Personis, propriis nominibus, in concreto sumptis; ut *Pater gignit*: non autem in abstracto sumptis; ut *Paternitas gignit*: quia

(1) Disq. V, n. 20 et 25.

cum actiones tribuuntur formis abstractis, innuitur influxus formalis talis formae in actionem; hic autem influxus non spectat ad proprietates relativae, sed ad essentiam, ut dictum est (1).

193. VI.^a Actus notionales recte praedicantur de Deo significato per essentialia in concreto sumpta, ut fides ipsa docet: sic dicitur: *Deus de Deo, Filius Dei, Spiritus Dei*, etc. Ratio est, quia essentialia in concreto significant suppositum; et ideo pro qualibet Persona supponunt, secundum exigentiam praedicati.

CAPUT IV.

De singulis Personis particulariter.

ARTICULUS I.

De Patre.

THESIS XXI.

Patris proprium primum est esse Patrem; esse Ingenitum, seu carere Origine; et esse Principium Divinitatis.

194. I.^a pars prob. 1.^o Ex dictis supra (2).

2.^o Esse Ingenitum est quid negativum; ergo praesupponit aliquid positivum, ideoque prius esse Patrem, quam esse Ingenitum. Deinde eatenus est Pater divinitatis Principium, quatenus gignit et cum Filio spirat: ergo illi primum est proprium esse Patrem. Unde Basilius, quid Patris proprium sit evolvens, ait (3): «Deitas communis est, proprietates vero sunt Paternitas et Filiatio. Ex utriusque autem complexu, tum communis, tum proprii, innascitur nobis comprehensio veritatis.» Et Athanasius (4): «Pietati et veritati magis consentaneum, Deum ex Filio nominari, Patremque appellare, quam..... non factum dicere..... Vox Patris simplex est atque in divinis Scripturis usitata, magisque veritati congruit, et Filium dumtaxat significat,» (id est, ad Filium refertur). «In sola divinitate Pater proprie Pater est, et Filius proprie

(1) Thes. XVIII, n. 172.— (2) Nn. 148, 158. — (3) *Adv. Eunom.* l. 2, n. 28. — (4) *Or. 1, contr. Arian.* n. 34.

»Filius, atque in his solis constans, firmaque est Patris et Filii »conditio» (1).

195. II.^a pars prob.

Primum *nota*: *ingenitum* posse intelligi; vel quasi non factum; et sic passim sumebant Ariani, ut ex Patris proprietate innuerent Filium et Spiritum Sanctum creaturas esse: vel quasi non natum; et in hoc sensu, *ingenitus* quoque est Sp. Sanctus: vel ut ab alio nullo modo realiter productum; hoc sensu dicitur Pater *ingenitus*.

1.^o Conc. Tolet. XI (2): «Patrem quidem *ingenitum* profitemur; ipse enim a nullo originem ducit.» Athanasius (3): «Si velint (Ariani) illa voce, non factum, significari id, quod existat quidem, non sit autem ex aliquo ortum... respondebimus eum, quem hoc modo significant, unum ac solum esse non factum Patrem.» Basilius etiam (ibid.): «Cum *ingenitam* lucem audimus, Patrem intelligimus: cum vero *genitam* lucem, Filii accipimus notionem: nam quatenus lux et lux sunt, nulla est in eis contrarietas; quatenus vero *genitum* et *ingenitum*, apparet oppositio... »*genitum* et *ingenitum*, indices quaedam proprietates sunt.»

196. III.^a Pars prob.

Nota. Prius notare oportet. Non dicitur Pater principium Deitatis, quasi ab illa Deitas ortum ducat, sed quatenus est principium, quod Divinitatem *communicat*.

1.^o Tolet. conc. (ibid.), et Wormat. etiam, ajunt: «Fons ergo ipse et origo est totius divinitatis.» Et Augustinus (4): «Quemadmodum dixit: quem ego *mittam vobis a Patre*. »Videlicet ostendens, quod totius divinitatis, vel, si melius dicitur, »deitatis principium est.» Et S. Hippolytus (5): «Cum »alium dico, non duos Deos dico; sed tamquam lumen ex lumine... »Una enim est virtus quae ex toto est: totum vero Pater.»

SCHOLIA.

§ I.

Paternitatis fundamentum.

197. Cum Filiatio et Spiratio passiva principium et originem habeant, facile patet, quodnam sit illarum fundamentum; Paternitas autem improducta est, et prior omnium Proprietatum relativa-

(1) Ibid. n. 22.—(2) In *Symb. fidei*. — (3) Or. 1, contr. Arian. n. 31.—(4) *De Trin.* l. 4, c. 20.—(5) *Contr. haer.* Nöet n. IX.

rum, et virtute tantum ab essentia distincta. Non ergo reale, sed virtuale et secundum rationem, fundamentum Paternitatis inquirunt Doctores. Praetermissis aliis opinionibus, dicendum: in divina natura, quatenus fecunda ad intra per productionem, inveniri existentiam et fundamentum immediatum, absque ulla vera productione, paternae proprietatis. Nam personalitas sequitur et comitatur naturam, ut ex illius patet definitione: in natura ergo fundamentum hujusce proprietatis esse debent. Unde, quemadmodum quae produci debent Personalitates in Deo, principium *quo* talis productionis in natura habent; ita Personalitas illa improducta, quae praerequiritur, ut distincta et opposita, ad alias producendas, in ipsa natura immediate et absque productione fundatur: est enim necessaria ad fecundam naturam, ut possit generando et aspirando communicari. Eadem de causa debuit prima hac Personalitas esse relativa; sine oppositione enim producentis ad productum non potuisset vera existere generatio.

§ II.

De attributo Ingenitus.

198. De alio Patris attributo, quod est *Ingenitum* esse, inquiritur, utrum sit mere negativum, vel aliquo modo positivum. Verius dicitur, formaliter privationem Originis significare cum fundamento in re, id est, in ipsa Paternitate. Cum enim Persona divina, ut talis, Originem non excludat, et haec tamen origine careat, aliqua peculiaris inest in illa ratio. Haec autem ratio est ei intrinseca: nam, ut dictum est, communicatio ad intra praerequirit Personam improductam et oppositam relative Personis producendis; manifestum igitur est repugnare illi productionem, et quamlibet secum ipsa oppositionem. Hoc clare innuit S. Nazianzenus, Or. XXV, «Patris proprietates haec est, quod *ingenitus* sit; Filii, quod »*genitus*; Spiritus S. quod procedat.»

§ III.

De aliis Patris attributis.

199. Ex dictis facile intelligitur, quo sensu dicatur a nonnullis Patribus graecis, Patrem esse *Auctorem* et *Causam* aliarum Personarum: scilicet rationem principii et originis activae in Patre notare intendunt, non autem quod Personae aliae per veram effectiorem et causalitatem ab illo procedant.

Item, propter analogiam aliquam ad proprietates Patris, non-

nulla eidem tribuuntur, seu, ut dici solet, *appropriantur* attributa: ut *aeternitas*, quia est prima quoad originem Persona; *omnipotentia*, quia prima in eo splendet virtus et fecunditas, et est ratione prior quam sapientia et amor; *unitas*, quia prima est Personarum, sicut unitas numerorum, etc. Verum satis apertum est ex dictis, omne attributum absolutum esse omnibus Personis commune.

ARTICULUS II.

De Filio.

THESIS XXII.

Secunda Persona Trinitatis, seu Verbum, est vere et proprie Patris Filius, et vere ac proprie ejus Verbum.

200. *Nota.* Eadem esse Personam, quae et Verbum et Filius dicitur, adversus aliquos antiquos supponimus haereticos.

Nam 1.º S. Joannes in Evangelio (c. 1) dicit de eodem Verbo, quod *caro factum est*, et *Unigenitus est Patris*. 2.º Conc. Rom. sub Damaso (1), explicite docet, quod «Ipse Filius sit »Verbum Dei:» Etiam Conc. gen. III. Ephes. can. 5, docet, *Filium per naturam* esse ipsum Verbum. Hanc defenderunt fidei doctrinam, Irenaeus (2) passim: «Blasphemant, ait (3) »abscindentes et dividentes Verbum ab Unigenito.» Athanasius pariter (4), nec non S. Ambrosius (5).

201. I.ª pars prob. 1.º Ex Symbol. «Credo... Filium Dei Unigenitum, ex Patre natum ante omnia secula.» Ex con. Rom. sub Damaso: «Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id »est, de divina substantia ipsius. A. S.»

2.º S. Joannes ait (6): *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus.* Paulus ostendit divinitatem Christi ex ejusdem generatione et Filiatione (7): *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

202. 3.º Vide supra (8) rationes, quibus proprietatem Paternitatis ostendimus: si enim Pater vere est Pater, Filius quoque vere Filius et genitus erit. Hinc Nazianzenus (9) ait: «Patrem vere »Patrem, ac multo quidem verius, quam qui apud nos id nomen

(1) Can. 7 et 12.—(2) In libr. *contr. haeres.*—(3) Ibid. l. 4, in praef.—(4) Or. 2. *contr. Arian.*—(5) L. 1, de *fid.* c. 2, n. 16, etc.—(6) Ep. 1, c. V, 20.—(7) Hebr. 1, 5.—(8) Nn. 155, 194.—(9) Orat. 25.

»obtinent... Filium vere esse Filium, et in totum Filius, et totius, »et a principio.» Hilarius autem (1): «Hic est verus proprius »Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nati- »vitate, non creatione.» Et Phebadius, (2): «Quis autem catho- »licorum ignorat Patrem vere esse Patrem, Filium vere esse Fi- »lium, Spiritum S. vere esse Spiritum Sanctum?» Ambrosius (3): «Principium fidei nostrae est, scire quod genitus est Dei Filius; »si genitus non est, nec Filius est.»

203. II.ª Pars prob.

Primum vero *nota*: Arianos, aliosque haereticos, qui Verbum vel creaturam, vel a Patre indistinctum excogitaverunt, consequenter errantes verum esse Verbum negarunt: at, ex alio capite, Durandus Verbi divini proprietatem negavit, quod putaret non procedere per intellectum: hoc tamen supra rejectum est (4). Vere autem et proprie Filium esse etiam *Verbum*, et non metaphorice solum, ita est certum et cum fide nexum, ut sine errore negari non possit, asserant Suarez et Ruizius.

204. Prob. 1.º *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, (Jo. I). Jam vero, ex consensu omnium Patrum et Doctorum, voluit Joannes declarare, a sui Evangelii exordio, divinam Christi Personam: cum ergo absolute dicat illam esse, ut a Patre distinctam, Verbum Dei, id proprie et simpliciter intelligendum: metaphoricus enim sensus, necessitate tantum cogente, est sumendus. Ideo arguebat Cyrillus (5): «Si »Filius, inquit, Verbum Patris est... in nullo a Patre differre »poterit... Qui haec dicunt, Joannis omnino obliti sunt. Verbum »enim ipse Filium appellat, ut hoc nomen, quasi proprium, et ip- »sius esse Filii maxime significativum, elegisse videatur. *In prin- »cipio*, inquit, *erat Verbum*... Vides quomodo ipsum esse Filii se- »cundum naturam hoc nomen significat... Sufficit enim sibi ad »significandum ipsum esse Filii, Verbum dixisse. Verum igitur »Patris Verbum Filius est, nec est aliud Patris Verbum, quam Fi- »lius.»

Confirm. Ait Joannes etiam (6): *Tres sunt qui testimonium dant in coelo Pater, Verbum et Sp. Sanctus.* Si ergo Pater dicitur Pater, et Sp. S. dicitur Spiritus S. et ita altera Persona Verbum, et quidem in coelo; non minori proprietate Verbum est Verbum, quam Pater est Pater, et Spiritus S. est Spiritus Sanctus.

205. 2.º Athanasius (7): «Filius verus natura et genuinus

(1) L. 3, de *Trin.* (Migne, t. 20).—(2) Lib. de *Fide orthodox.* (Migne, t. 20.)—(3) *De Fide*, l. 2, Prolog.—(4) *Thes.* III, n. 23.—(5) *Thesaur.* l. 7, c. 1.—(6) I Jo. V, 7.—(7) Or. I, *contr. Arian.* 9.

»est Patris, Sapientia unigenita, Verbum verum ac unicum Dei ipse »est.» Testatur S. Alexander (1), errorem fuisse Arianorum dicentium: «Filius neque verum, neque naturale Verbum est Patris... abusive autem Verbum dicitur... Haec Arianos loquentes, »haec impudentissime affirmantes, nos cum episcopis prope centum... anathemate percussimus.»

3.º Essentialiter Verbum in hoc consistit, quod sit terminus productus per intellectionem, repraesentans objectum suum. Atqui Filius procedit per intellectionem, et perfecte repraesentat objectum; uti supra probatum est (n. 23, 88); ergo proprie Verbum est.

206. Objic. in 1^{am}. partem. 1.º Generatio est productio substantialis. Atqui Verbum, utpote consubstantiale Patri, non potest quoad substantiam produci: ergo neque generari. Resp. dist. *maj.* In rebus creatis; conc. In divinis: subd. Quoad Personam genitam; conc. Quoad naturam Personae genitae; nego. Nam in creatis non potest pater nisi naturam specie similem communicare, ideoque productam: in divinis autem Pater, perfectissima generatione, suam individuam naturam communicat, ideoque improductam.

207. Objic. 2.º Per generationem mutari debet filius genitus. Sed in divinis mutatio repugnat: ergo et generatio est impossibilis. *Maj.* prob. Quod gignitur accipit esse ab alio, ideoque non erat. Sed quod transit a non esse ad esse mutatur; ergo generatio mutationem inducit.

Resp. nego *maj.* et ad prob. dist. *maj.* Quod gignitur... non erat, si ipsum accipiat esse gignentis: nego *maj.* Si accipiat esse diversum; conc. *majorem* et nego *consequentiam*.

Inst. Saltem esse relativum et personale geniti est productum; ergo est diversum a gignente, et transit ex non esse, et mutatur.

Resp. dist. *ant.* Est productum *origine*; conc. *Effective*; subd. Si distinguatur ab essentia gignentis; conc. Aliter; nego. Nam Persona genita, cum identificetur essentiae increatae Patris, *effectio* et causalitatis est incapax, non vero originis.

208. Objic. 3.º Generatio est in similitudinem naturae inter generantem et genitum. Sed in his, quae idem sunt, similitudo repugnat: ergo et generatio. Resp. dist. *min.* Quae idem sunt, ut *quo* et ut *quod*, similia esse nequeunt; conc. In his, quae sunt idem, ut *quo* tantum, nequit similitudo inesse: nego *minorem*.

209. Objic. in secundam p. 1.º Per verbum assimilatur intelligens rei intellectae, eamque intelligit. Atqui Pater nulli rei assimilatur per Filium, sed potius generando sibi illum similem reddidit, neque quicquam per Filium intelligit: ergo Filius nequit esse Verbum Patris.

(1) Epist. de *Arian. haeres.* ad Alex. Constant. n. III.

Resp. Dist. *maj.* Intelligens *creatus* assimilatur et intelligit per verbum; conc. *maj.* Increatus; nego. Non enim id accidit per se et ex intrinseca verbi ratione; sed per accidens, et quatenus intelligens, ut actuetur et perficiatur seu ex indigentia, verbum suum producit. Hoc ergo tantum est de ratione verbi, ut ex intellectu oriatur et sit rei intellectae similitudo, quod Verbo divino perfectissime convenit: recipit enim ipsum intelligere Patris, ideoque repraesentat adaequate objectum illius intellectionis. Illae ergo, quae in verbo creato notantur, imperfectiones, ut quod sit accidens, quod perficiat intelligentem, etc. non sunt in divino Verbo; ut enim ait Athanasius (1). «Nec quaerenda est ratio cur Dei Verbum »non tale sit, quale nostrum: quandoquidem non talis est Deus, »quales nos.»

SCHOLIA.

§ I.

Quae Verbi, quae Filii ratio?

210. Ex dictis patet, eandem Personam et esse Filium et esse Verbum, ita ut, ex sententia Augustini: «Eo Filius, quo Verbum; »et eo Verbum, quo Filius.» Ratione tamen aliud esse Filium et aliud esse Verbum, perspicuum est. Utrumque sane est quid relativum; Verbum quidem ad mentem dicentem seu concipientem, et ad rem dictam seu conceptam: Filium autem ad Patrem gignentem et ad naturam Patris susceptam.

§ II.

E divinorum cognitione procedit Verbum.

211. Verbum divinum procedit ex cognitione infinite perfecta divini intellectus; scientia autem divina multa tum intra Deum, tum extra attingit: hinc quaestio inter Auctores vertitur, ex quarum rerum cognitione Verbum divinum procedat? Quoad ea, quae ad divinam spectant essentiam, conveniunt omnes, repraesentari in divino Verbo et ab eorum cognitione procedere. Scotistae autem cum Magistro suo, negant Verbum gigni ex cognitione perfectiorum relativarum. At cum Augustino (2), D. Thoma (3), Suarezio (4) tenendum, procedere Verbum ex cognitione totius

(1) Orat. 2, *contr. Arian.* n. 36. — (2) *De Trinit.* l. 7, c. 1 et 3. — (3) Q. 34, a. 1, ad 3. — (4) L. 9, c. 3.

Trinitatis, omniumque sive absolutorum, sive relativorum. Ratio est, quia cognitio Patris est essentialiter comprehensiva, ideoque attingens omnia, quae cum divina essentia connectuntur: ergo Verbum, qui, vi suae processionis, est eadem essentia et sapientia Patris, ut ait Augustinus (ibid.), procedit ex cognitione omnium etiam relativorum.

Confirm. Si cognitio, qua Pater gignit Verbum, non attingeret ipsum Verbum et Spiritum S., neque ipsum Patrem comprehenderet, neque virtutem gignendi et spirandi: unde esset imperfecta cognitio, et Filius etiam imago imperfecta Patris.

212. Objic. Si ex cognitione Personarum procedit Verbum, prius sunt Personae quam ipsum Verbum; quod repugnat.

Resp. Alius est ordo originis, alius autem cognitionis: Personae ergo omnes sunt prius cognitione quam ipsum Verbum, non vero origine, nisi solus Pater.

§ III.

E possibilem cognitione procedit Verbum.

213. Dicendum etiam contra Scotum, procedere Verbum ex cognitione omnium possibilem; quod tenet etiam, cum S. Thoma, Suarez (ibid.). Scientia enim illa Patris est comprehensiva essentiae, ideoque et possibilem, ut diximus supra (1): Verbum ergo omnium possibilem debet esse imago et Verbum. Unde Augustinus (2): «Tamquam se ipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quam in ipso.»

214. Dices: inde sequi videtur, debere Verbum creaturis possibilem suum esse personale, vel, saltem, perfectionem ab iis suscipere.

Resp. Nego *consequentiam*. Sicut enim divinus intellectus non perficitur ex creaturarum cognitione, ut supra expendimus (3); ita neque Verbum a solo Patre, virtute divinae essentiae, procedens: verum sicut intellectus Patris, ex intrinseca actuacione debet omnia repraesentare possibilem; ita et Verbum, ut perfecta Patris imago existat.

Aliter tamen repraesentat Verbum essentiam Patris, quam creaturas possibilem; intellectus enim divinus, ex quo est Verbum divi-

(1) Disq. IV, n. 158. — (2) *De Trinit.* l. 15, c. 14. — (3) Disq. IV, n. 149 et seqq.

num, ab essentia divina actuatur, tamquam objecto formale *quasi physice* determinativo: creaturae autem omnes, sive necessariae, sive contingentes, se habent erga divinam essentiam ut objectum *intentionaliter* tantum determinativum. Consequenter et Verbum est proprie et perfecte *imago* divinae essentiae, cui secundum naturam simile est, et cujus virtute procedit: possibilem autem creaturarum est imago late et improprie dicta.

§ IV.

E contingentium cognitione utrum procedat Verbum.

215. Quoad autem creaturas contingentes major est inter Auctores dissensio. Multorum opinio est, non procedere divinum Verbum a scientia illarum, quae in Patre existit: tum quia videtur absonum, quod procedat a contingentibus id quod est in Deo necessarium: tum quia omnis creatura contingens supponit aliquod Dei liberum decretum, ideoque et Personas, quarum sunt omnia opera ad extra, plene constitutas. Ita censent communiter Thomistae, et ex NN. Suarez, Vazquez, Molina, etc.

216. Secunda tamen sententia tenet, procedere Verbum divinum etiam ex scientia creaturarum, ut existentium, ideoque contingentium: ita Valentia, qui plures antiquos laudat Doctores, et dicit (1) priorem opinionem adversari doctrinae D. Thomae; Ruiz a Montoya, Arriaga, Marin, etc. Favet Augustinus (2), qui postquam asserit, «futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid et quando ab illo peturi fueramus... Pater, sine initio, ante praescivit;» deinde addit: «Proinde, tamquam se ipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quam in ipso... Et ideo Verbum hoc vere veritas est: quoniam quidquid est in ea scientia de qua genitum est, et in ipso est: quod autem in ea non est, nec in ipso est.»

217. Ad rationes autem 1.^{ae} sententiae, dicitur: sicut absonum non est, scientiam Dei necessariam et immutabilem terminari posse ad veritates contingentes, ita neque absurdum existit, Verbum ab iisdem procedere; non plus enim exinde mutari debet, quam ipsa scientia Patris, quae realiter eadem est, et solum virtualiter distincta, quatenus ad contingentia terminatur. Deinde, libera Dei decreta et veritates omnes contingentes supponunt, quidem, Perso-

(1) *De Trin.* q. 8, p. 2, ad 4. — (2) *De Trin.* l. 15, c. 13 et 14.

nas *realiter* constitutas, quemadmodum et necessariam Dei scientiam; non autem *virtualiter*. Unde Verbum divinum *realiter* est prius qualibet veritate objectiva creata; *virtualiter* autem procedit, origine posterius, a scientia Paterna omnium veritatum contingentium.

§ V.

Quae Filio per appropriationem conveniunt.

218. Praeterea dicuntur de Filio vel proprie, vel per *appropriationem*, alia quaedam nomina.

In primis in SS. Literis, et apud SS. Patres, *Imago* dicitur *Dei invisibilis*, et quidem non metaphorice, ut vult Durandus, sed proprie: est enim Filius perfecte Patri similis, et ab ipso Patre desumpta seu expressa est talis similitudo.

Est Filius *Sapientia* Patris, *Dei Sapientia*: non tantum quia est Deus, et habet divinam Sapientiam; sed praecipue quia procedit per intellectum, et vi propriae et formalis processione Sapientiam Patris suscipit, ideo illi hoc nomen *appropriatur*.

Dicitur etiam *Species*, *Figura*, *Character*, *Speculum* et alia, quae ad nomen *Imaginis* revocari videntur. Item *Via*, *Veritas*, *Virtus*, et similia, apud SS. Literas et SS. Patres, quae Verbo, ex analogia aliqua, *appropriative* conveniunt.

ARTICULUS III.

De Spiritu Sancto.

THESIS XXIII.

Spiritus Sanctus non est Filius seu Genitus, sed a Patre, Filioque procedens.

219. Thesis est de fide quoad utramque partem.

1.^a Pars. prob. 1.^o Ex Symb. Athan. «Spiritus S. a Patre et »Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.» Et in Conc. Hispaniarum, jussu Leonis Pp. habito: «Non genitus Paraclitus, sed a Patre, Filioque procedens.» Ita Tolestan. XI et Leo IX in Symb. fidei, proposito Petro ep.: «Spiritus Sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed a Patre Filioque procedentem.»

2.^o Si Spiritus S. esset genitus seu Filius, sequeretur Verbum

divinum non esse Unigenitum Patris: sed hoc est prorsus fidei contrarium. *Unigenitus*, ait Joannes.. *qui est in sinu Patris* (1); et iterum: *Ut Filium suum Unigenitum daret*. Quod patet et ex Symb. Apost. «Filius ejus unicum;» et Nicaen. «Filius Dei Unigenitus.»

220. 3.^o S. Basilius docet (2): «Spiritus S. nec ingenitus, »nec genitus, quia unus Unigenitus.» Athanasius autem (3) ait: «Nomen Unigeniti proprie Verbo convenire, quandoquidem »nullum aliud est Verbum, nulla alia Sapientia, sed solus ipse verus est Patris Filius.» Nazianzenus etiam (4). «Spiritus S. qui »a Patre procedit, quatenus ab illo procedit, creatura non est: quatenus genitus non est, Filius non est... Quid ergo est, inquit, »quod Spiritui deest ad hoc ut sit Filius?... Deesse nihil dicimus. »Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, ut ita dicam, mutuaeque eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit.»

Ita Patrum communis sensus, quorum plurimos apud Petavium et Ruizium videbis.

221. Objic. 1.^o Nonnulli PP. dicunt, *natum* quoque esse Spiritum S., et Verbum esse Filii.

Resp. dist. Patres ita loquuntur per quamdam similitudinem; conc. In proprio sensu; nego.

Objic. 2.^o S. Basilius respondet ad Eunomium (l. 5), ideo Spiritum Sanctum non dici Filium, ne putemus et alium quoque dari Filium Spiritus Sancti, et exinde multitudinem Filiorum: ergo *solo nomine* non est Spiritus Sanctus verus Filius.

Resp. explico. Id dicit Basilius ut declaret, non ideo Spiritum Sanctum Filium non appellari, quod careat eadem natura Patris et Filii; conc. Quod putet nihil differre a filiatione processionem Sp. Sancti; nego, Nam id contendebat Eunomius, non esse Sp. Sanctum ejusdem naturae cum Patre, quia non est Filius.

222. II.^a Pars prob. 1.^o Ex Florent. Conc. in Decret. *Union*. «Definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis »credatur... quod Spiritus S. ex Patre et Filio aeternaliter est, et »essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et »Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et »unica spiratione, procedit.»

Vide et prioris partis theseos probationem 1.^m

223. 2.^o Quod Sp. Sanctus a Patre procedat expresse legitur in SS. Lit. Vide supra (n. 17); et quidem numquam Graeci, cum qui-

(1) Jo. I, 18; III, 16.— (2) L. 3. cont. Eunom.— (3) Or. 2, adv. Arian, n. 62.— (4) Orat. 5. Theol. IX.